



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

27. Dies Septemb. Tantò quidque vehementius volumus, quantò certius,
quàm bonum sit, intelligimus. S. Augustinus lib. 2. de pecc. Merit. cap. 17.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

Septemb.

Tessera.

769

cto simile : illum se hujus linguae accommodare ad Sapientiam ; alterius animam illuminare in prophetia , illius Temperantiam corroborare ; alium instituere ad eleemosynam : docere alium jejunare, exerceri ad pietatem , & mundi res contemnere: alium præparare ad martyrium ; atque sic alia in aliis operari. Hic Spiritus se in animos insinuans hominum , exornat donis suis unumquemque , prout opportunum esse videtur. Virtus enim , ut fœcunda parens , multiplici fœtu gloria , obumbrantes Spiritu Sancto , in Abele innocentiam genuit , in Noë Spem , & Longanimitatem , obedientiam in Abrahamo , in Jobo invictam Patientiam , in Josepho Castimoniam , in Mose Mansuetudinem , in Davide Pœnitentiam , in Apostolis dignam Deo perfectionem. Hi omnes velut ab alto , & sublimi loco videntur unumquemque affari , & dicere : nihil esse Virtute pulchrius , nihil præstabilius , nihil hominum contentione dignus , nihil honestius. Præ illa spernenda sunt omnes , & Midæ opes cum auro , & Cræsi gazæ. Dubitas ? Audi quod sequitur :

Gazas congestas , præcedit mentis honestas.

27. DIES SEPTEMB.

Tantò quidque vehementius volumus , quantò certius , quam bonum sit , intelligimus . *S. Augustinus lib. 2. de pecc. Merit. cap. 17.*

Desideriū 1.

Virtutis.

Quum sit Virtus , & venustate formosa , & dignitate magnifica , & estimatione pretiosa , ex prædictis satis fuit exploratum. Virtus tibi modò non tantum est de facie lev-

leviter nota, sed tota penitus cognita. Quæ igitur fuit in Intellectu, superest, ut sit in affectu: quæ fuit intellecta, sit jam dilecta, quæ tibi explorata, sit & desiderata. Eo enim quid volumus vehementius, quo intelligimus evidentius. Summum desiderium, jure exigit bonum quod est summum Gratia, & natura sorores sunt, eundem habent auctorem, & Patrem Deum. Itaque docebunt te naturalia, quomodo oporteat concupiscere supernaturalia. Natura sic suo est instituta auctore, ut nullum rei ulli conferat bonum, nisi illius obtinendi, magna præcesserit cupiditas. Res naturæ plus optant, quam nanciscuntur. Ignis, dum sursum ascendit, nihil magis appetit, quam cotingere cœlum: & tamen illuc non pervenit. Sed cupiditas illa ei fuit necessaria, ut ad locum perveniret, non summum, sed sublimem Saxum, cum descendit, desiderat descendere usque ad cor terræ, & tamen permaneat in ejus superficie. Ardentissimam quoque affectionem ingessit brutis animalibus erga fœtus. Vacca, absente vitulo, mugit, & quasi gemit. Animalia timida, amor propria irritat, & impavida reddit: hoc vehementius desiderium, necessarium fuit ad superandam difficultatem procurandæ sobolis.

II. Res summè difficilis est Virtus; est enim sita in arduo, & horrenti jugo posita, quod ipsum, potens est stimulus ad acuendum desiderium, & incitandam Voluntatem. Quæ enim formositate sunt eximia, dignitate prima, usu salutaria, eo vehementius generosum animum ad potiundum solent incendere, si difficultatibus obsepta via est, atque interclusa, omnium enim, quæ labore, & studio exquisitio

Septemb.

Tessera.

767

quisito parantur, longè dulcior est fruitio, & voluptas inde liquidior percipitur, longè amabilius, gratiusque videri potest, lilium inter spinas, rosa inter aculeos, margarita in ostreo, in galareis aurum, in metâ bravium. Appetitus naturalis, est dispositio ad perfectionem naturalem: sic cupiditas magna, & supernaturalis præparat ad perfectionem supernaturalem. Tota requiritur voluntas, totaque totius voluntatis cupiditas ut, præ difficultatibus non deficias. Quandoquidem ubi in animo est Virtus, ibi velut in sacrario, est Deus, isque sit infinitus, qui plusquam infinitè deberet desiderari, quomodo ita desiderando langues, & in concupiscendâ Virtute torpes? Fluxa Naturæ, & caduca Fortunæ bona desiderantur centies, & millies, plusquam merentur desiderari, & tamen non obtinentur: quomodo tam remissus es in desiderando bonum, de quo dicit Sapiens: (a) *Omne desiderabile non potest ei comparari?*

II. Interim Virtus quam multum æstimatur, tam parum desideratur. Iniquâ partitione colimus Virtutem solo Intellectu, Vitia, Voluntate. Error hic inde oritur quia secernimus bonum honestum ab Utili, cum nihil sit utile, nisi & honestum. Quæ utilia sunt possunt mutuo accipi, alius accommodabit alia possunt substitui. Sola Virtus sine vicario est, est ipsa rerum omnium vicaria. Sola virtus, mutuum non accipit. Quem tibi putas utiliorem, qui commodat, aut mutuat, an qui donat? plus dices donantem prodesse, quam mutuantem. Fortuna ad summum, bona sua commodat, postea repetit: Natura mutuat, similia exigit: Virtus dat, nulla revocat:

(a) *Prov. 8.11.*

Quid

768 Christiani Militis Septemb.

Quid plura? Eligenda est potius Honestas periculosa , quam Utilitas tuta. Sed præter Honestatem, nec securitas , nec utilitas est , non dico tuta; sed ultra. Sola Virtus est potens prodesse : quidquid juvat , per illam juvat. Itaque omnis favor , omnem molumentum Virtus est , aut Virtutem respicit: sive à Virtute sit , sive per ipsam. Alium si tuis opibus juves , perdes , quibus juves: Virtus cùm juvat , jumentur , crescit subsidio. Hæc tanta bona , cùm Virtus suo contineat complexu , cur eam tuo non dignari affectu? Cur non desideras , quod tuum potest implere desiderium ? Virtus non est noxia , quia nemini nocet , non est egens , quia quemlibet dirat. Aedes ergo innoxie ditari ? Ita promptu est modus , quem indicat hic versus.

Hic bene se ditat , qui semper noxia vitat.

28. DIES SEPTEMBRIS.

Nihil est , exceptâ virtute , quod mortali manu , ac animo immortali , quæri possit. *Valerius Maximus lib.5.cap.6.*

Virtus la- I.
bore ac-
quiritur.

Quid te casso labore multi
quærere conquereris? Quid-
quid hic quærit , vel mortale
corpus , vel immortalis ani-
mus , sola Virtute excepta , non est dignum quæsiri ,
indignissimum obtentu. Itaque , ut canis venaticus
sagacissimè odoratur , & investigat prædam : sic
animus immortalis in hac vita mortali , nihil non
agat , ut Virtutes acquirat , acquisitas augeat. Est
enim proprium Virtutis , non quid actum , sed quid
agendum sit ; nec quid absit libi , sed quid deficit.

atten-